

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1284

Auteur(s) : Enguerrand Gaisdon [particulier]

Bénéficiaire(s) : Bayeux (chapitre cathédral)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1283, 11 juin

Lieu d'émission : Saint-Loup

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Enguerrand dit Gaisdon vend et garantit au chapitre de Bayeux une rente annuelle sur un masusage à Saint-Loup : le chapitre lui donne 10 livres et 10 sous tournois.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° DIX, t. 2, p. 255-256.

Texte établi d'après a

Sciant omnes præsentes et futuri quod ego Enguerranus dictus Gaisdon vendidi, concessi, et penitus dimisi capitulo Baiocensi viginti solidos Turonenses, duos capones, et triginta ova anni redditus, percipiendos per manus Gaufridi dicti Mort Loue et Henrici dicti Cullere, hiis terminis qui sequuntur, videlicet decem solidos Turonenses ad festum Nativitatis beati Johannis Baptiste, decem solidos Turonenses, duos capones ad festum Nativitatis Domini, et triginta ova ad Pascha quolibet anno, in uno masuagio, quod de me tenebant in feodo et hæreditate prædicti Gaufridus et Henricus, sito in parrochia Sancti Lupi, ante manerium quod fuit Johannis de Arreio, inter masuagium Thomæ Le Rossel, ex una parte, quod possidet idem Thomas, ratione maritagii uxoris suæ, et masuagium Thomæ Viviani, ex altera : tenendos, et habendos, et jure hæreditario possidendos dictos viginti solidos Turonenses, duos capones et triginta ova dicto capitulo, cum omni jure et dominio quæ habebam et habere poteram, sine reclamatione aliqua mei vel hæredum meorum in omnibus supradictis, seu aliquo prædictorum reclamatione de cetero facienda, salvo tamen jure domini capitalis. Et ego dictus Enguerranus et mei hæredes dicto capitulo tenemur et debemus omnia supradicta contra omnes garantizare et defendere, vel excambiare alibi, in nostro proprio hæreditagio, ubicumque fuerit, valore ad valorem, si necesse fuerit, competenter. Pro hiis autem venditione, concessione, dimissione, garantizatione, defensione et excambiatione, dictum capitulum dedit michi decem libras et decem solidos Turonenses in peccunia numerata, de quibus me teneo penitus pro pagato. Et, ut hoc sit firmum et stabile, et duret in futurum, istud præsenti carta et sigilli mei munimine confirmavi. Actum est hoc anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo tertio, mense junii, coram parrochia supradicta, die veneris, in festo beati Barnabæ apostoli.